

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE

CHRISTO
SOLE JUSTITIÆ,

QUAM

Occasione Loci Malach. IV. v. 2.

AFFULGENTE SUPREMI NUMINIS GRATIA
SUB MODERAMINE

VIRI summe Reverendi & Excellentissimi

DN. D. JO. HENRICI MAJI
SS. THEOL. ET LL. ORIENT. PP. SU-
PERINTEND. PÆDAG. ET STIP. EPH.

Dn. Patroni ac Præceptoris sui

jugi reverentiæ cultu prosequendi,

Placido DNN. Commilitonum colloquio exponit

D. XX. Aug. M DCCVI.

JO. FRIDERICUS BUSHI
Wimpinâ Suevus.

GISSÆ-HASSORVM,

Excud. JOH. REINH. VULPIUS, Acad. Typ.

~~75.ultima.~~

~~75.ultima.~~

~~75.~~

101. diss. A
25, 31

101. 44. A. 195(31)



32

VIRIS

*Nobilissimis, Amplissimis, Con-
sultissimis & Spectatissimis,*

Liberæ, quæ Wimpinæ ad Nicrum est,
Reipublicæ,

DNN. CONSULIBUS,

DNN. SCABINIS,

DN. SYNDICO,

DNN. SENATORIBUS,

Dominis & Patronis summis,

*omni reverentia & observantia genere,
atatem maxime devenerandis,*

Primi-

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS,
CUM VOTO
VITÆ LONGÆVÆ,
VALETUDINIS NON INTERRUPTÆ,
REGIMINIS PROSPERI ET
COELESTIS IN OMNIBUS
BENEDICTIONIS,
IN DEBITÆ VENERATIONIS ET
GRATÆ MEMORIÆ SIGNUM
PERPETUUM
OFFERT, DICAT, DEDICAT,

Amplissimorum Nominum illorum

Cultor indefessus

J. F. Buhl

A. & R.



PRÆFATIO.

Malachiam Prophetarum Veteris Testamenti ultimum & quasi חותם sigillum esse, notius est, quam ut dici probari ve necesse sit. Neque illud obscurum est, quod sub templo secundo vixerit; Quod utrumque largiuntur & disertis verbis scribunt etiam Judæi, licet tempus exactè definire non audeant, cum, ut R. David Kimchi in commentario suo loquitur זמן נבואתו לא נכתב quemadmodum in Haggæo & Zacharia conspicitur &c. Quæ R. Is. Abarbeñel clarius non nihil effert, dicens, Esræ V. 1. 2. nullam Malachiam mentionem fieri, viderique adeò tres sub templo II. Prophetas haud esse coataneos, Haggæum enim vixisse קודם הבנין וכתחלתו antequam Templum exstruebatur, & in ejus initio, Zachariam autem durante structura inque ejus fine, & Malachiam non multò post exstructum templum, quoniam hic ultimus omnium Prophetarum sit, ובמותו נפסקה הנבואה מישראל & post obitum ejus cessaverit Prophetia ex Israël. Jo. Coccejus in Comment. adh. l. tempus determinare voluit, sed nimis longè forte intervallum extendit, statuitque ante coadunationem Judæorum cum Idumæis, sub Jo. Hyrcano factam, & post obitum Nehemia. Speciosior autem & longe probabilior est
Lu-

Ludovici Cappelli *sententia in Not. Critic. ad h. l. ex Nehem. XII. 22. & Sirac XLIX. 12. colligentis, Malachiam Nehemia temporibus nondum in vivis fuisse, & Siracidis a te vitam cum morte commutasse, sub Ptolomao Evergete. Verum autem Prophetam è populo Dei excitatum fuisse nostrum, non Angelum, qui humana specie Judais apparuerit, ut Patres nonnulli, LXX. Interpretes potissimum secuti, contendunt, vel inde liquet, quod argumenta contraria nullam vel veri speciem, vel robur habeant. Qui eundem cum Esra fuisse existimant, id ex Mal. II. 7. non evincunt, quia, ceu Kimchi, Aben-Esra & Abarbanel contra majores suos bene h. l. disputant, nusquam legitur, quod Esra Propheta nuncupetur, sed Scriba tantum dicitur. Christianis dubitandi ansam praescindit Novum Testamentum, Marci enim I. 2. inter Vates proprie dictos numeratur, & alibi testimonia inde petuntur, ut ὡφειότης & antiquitas hujus Prophetae negari nequeat. Quanquam verò ordine inter Vates ultimus sit, dignitate tamen nulli Veterum cedit, cum tam clarè & preclare Christum monstraverit, & fata Ecclesiae Novi Testamenti tam breviter complexus sit, ut nemini quidquam ex antiquioribus & prolixioribus concedat. Quaresme movit, ut, cum profectuum qualiumcunque specimen edere publicum, ante meum ex alma Ludoviciana discessum, constituerim, oraculum è Malachia elegerim illustre de Sole Justitiae non nihil illustrandum, fretus aeternae lucis in firmiore sermone Prophetico relucentis fulgore & favore, lectorisque benevoli humanitate.*

CAPUT



CAPUT. I.

*Exegetin cum Analyfi
tradens.*

§. I.



Ecens instauratum Templum mox fœda-
rum, reformatione & correctione opus
habebat, eumque in finem Deus Mala-
chiam misit, populum & Sacerdotes cum-
primis redarguentem, quod amoris, ho-
noris timorisque, ex fœdere Deo debiti,
obliti, spernerent sanctissimum Numen,
offerendo inepta & polluta sacrificia, nec
cogitarent, Messiam iis signari, eumque ci-
tò venturum in istud suum templum, & non tantum ceremonias
implerurum, sed etiam purgaturum filios Levi, ut munus acceptum
Deo offerre queant in iustitia fidei, ubique locorum, per universum
terrarum orbem. Ne vero emendatione opus se haut habere dice-
re auderent hypocritæ, graphicè denuo iterumque peccata plurima
& maxima describit & reprehendit, Cap. 3. 8. ff. peccatoresque ed
audaciæ procedentes, ut Deo obloquerentur, per elegantem sermo-
cinatio-

cinationem seu διαλογισμὸν sistit ψ. 13. & 14. & pios ipsis contradicentes ψ. 16. quos sequi par sit, si experiri quis aliquando velit, quid inter cultores contemtoresque Dei intersit ψ. 17. 18. cum venturus certo sit dies, quō impii atque superbi funditus extirpentur, contra verò Deum reverentibus exoriturum Solem justitiæ, Messiam, cumque eo cuncta salutaria ventura: quæ in fontibus his verbis efferuntur ψ. 20.

וּזְרָחָה לְכֶם יְרֵאֵי שָׁמַי שְׁמֵשׁ צְדָקָה וּמִרְפָּא בְּכַנְפֵיהּ וַיִּצְאָתֶם
וּפְשָׁתֶם כְּעַנְלֵי מִרְבֵּק

Paraph. Chald.

וּתְדַנָּן לְכוּן דְּחֵלֵי שָׁמַי שְׁמֵשׁא בּוֹכוּ וְאִסְתָּא בְּכַנְפָּהּא וְחַטְלוֹן כְּעַנְלֵי
רְבִיקָא :

LXX. Interpp.


Καὶ ἀνατελεῖ ὑμῖν τοῖς φοβημένοις τὸ ὄνομα μὲς ἡλίου δικαιοσύνης,
καὶ ἰασίς ἐν ταῖς πτέρυξιν αὐτῆς, καὶ ἐξελύσεται, καὶ σκιρτήσετε ὡς μοχλαί-
ρια ἐκ θεσμῶν ἀνειμένα.

Quæ quia facilia sunt, translationem Latinam Germanicamve ad-
dere nolimus, in singularum autem vocum explicatione non præ-
termittimus ea, quæ moneada forte sunt.

§. II.

וּזְרָחָה] *Et orietur*, ita ad verbum redditur. Lucas Osiander
in præsentī vertit: *Exoritur*, sed minus bene, quia ex Grammaticis
constat, ꝛ præter usum copulandi in verbis etiam significationes im-
mutare, nimirum significationem præteriti in Futuri, & contra :
Quod autem hic sit ꝛ non nudè copulans seu חִבּוּר sed simul etiam
vau conversivum, seu הפּוּר patet ex observ. *R. Elie* in Lib. *Habba-*
chur, Orat. I. Sect. 5. qui ita hæc duo Vau à se invicem distinguit: *si*
præcesserit aliud præteritum vel futurum præteriti loco positum, tum
copulativum est, sin minus, conversivum judicatur; hic autem neque
præteritum neque futurum præteriti loco positum præcedens repe-
ritur; Ergò vi hujus regulæ est *Vau conversivum*. Anne verò copu-
lativè, vel continuativè, vel adversativè sit vertendum, hoc optimè

EX CON-



ex contextu erui potest. Jam, cum in præcedente versu describatur pœna impiorum, in hoc ex opposito Propheta describit præmium piorum & opponit statum fidelium statui impiorum, quasi diceret: *Vobis autem, qui timetis nomen meum, exorietur sol iustitia*, memorataeque ærumnæ & pœnæ vobis non infligentur. Rectè igitur *Junius* & *Tremellius* convertunt: *Orietur autem*, eodemque sensu *Seb. Schmidius*: *contra exorietur*. Verbum רָאָה significat, *ortus exortus est*, græcè $\alpha\upsilon\alpha\tau\acute{\epsilon}\delta\epsilon\upsilon$, *oriri, spargere, diffundere lucem*, incipere conspici, Germanic. *herfürleuchten / auffgehen / anbrechen*. Usurpatur propriè de ortu Solis, 2. Sam. XXIII. 4. 2. Reg. III. 22. Judic. IX. v. 33. per $\alpha\upsilon\theta\epsilon\omega\pi\omega\tau\acute{\alpha}\theta\epsilon\iota\alpha\upsilon$ vel $\sigma\upsilon\gamma\kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\beta\alpha\sigma\omega$ (qua quod creaturis propriè competit, ad Deum & res divinas per quandam similitudinem transfertur) de Christo adhibetur, Esa. LX. 1. ff. de que gratia Dei erga pios Psalm. CXII. 4. In nostro loco de Christo intelligi debere, infra demonstrabimus. Qualis autem ortus adventusque Christi indigetetur, non una & concors est interpretum sententia, deinceps & adducenda & excutienda.

יָרָא . ¶ *Timentibus*. Verbum יָרָא significat *timuit, metuit, reveritus est*. Joh. Mercerus in Lexic. S. Pagnini & ex eo Eduard. Leigh. in Critic. Sacra, ad hoc verbum, dicit, quosdam hoc verbum יָרָא contrarium facere verbo רָאָה & id propterea, quod uti verbum רָאָה significat oculos vel animum intendere in objectum, sic יָרָא significet objectum oculis & animo averfari. Sed quis non videt, hanc observationem non esse generalem, sed saltem specialem, & apud eos saltem hunc obtinere significatum, qui timorem fervilem & cum odio conjunctum erga Deum habent & alia objecta. *Eduard. Leigh.* iterum observat, quod hoc verbum & nomen, quando referatur ad Deum, sit generale, & complectatur omnem reverentiam, quæ cum veneratione & religione Deo exhibetur. Verum id esse multorum locorum inductione probari posset. Sed duo è nostro Vate petita sufficient. Mal. I. 6. Deus ipse neglectum sui cultum exprobraturus populo, dicit: אֵיךְ מוֹרְאֵי *ubi timor mei est?* Cap. II. 5. de Levi ait: *dedi ea ipsi* מִוֹרְאֵי *timorem pro* לְמוֹרְאֵי *in timorem, ut timeret me* וַיִּירָאוּ *& timuit me, & propter nomen meum*

B


contritus

contritus est. Sed ex tota phrasires clarior erit. Progredimur ergo ad vocem,

§. II.

וַיִּירָאוּ I *Nomen meum.* Timentes nomen meum, Coccejus in Lexic. non male sic explicat: **die sich fürchten / wann sie meinen Nahmen hören / wenn etwas in meinem Nahmen fürgestellt wird.** Altius tamen non nihil inquiremus in Dei nomen, & quid innuat, videbimus, præeunte Scriptura. Nomen proprie ita dictum vel nomenclatura est, quâ rem cognoscimus, aut personam à persona, individuum ab individuo distinguimus. Cum ergo etiam Deus habeat nomen suum proprium, quo dignoscatur distinguanturque à creaturis, quodque colendum est, quale illud sit, non adeò videtur obscurum esse. Nimirum nomen יהוה *Jehova* τετραγράμματος, ineffabile & incommunicabile, ceu vulgò appellant. vid. Jes. XLII v. 8. Exod III. 15. & Levit. XXIV. 11. ubi de filio mulieris Israelitidis dicitur, quod maledixerit vel expresserit **וַיִּשָׁקֵן** per quod plerique nomen יהוה intelligunt, & ex sequente v. 16. probant. Judæi etiam per **וַיִּשָׁקֵן** absolute positum verum Deum intelligunt. Cur autem nomen hoc pro יהוה usurpetur? variè potest responderi, nempe factum esse vel propter Dei incomprehensibilitatem, quodque nomen hoc inter decem Dei nomina naturam & essentiam divinam tam exactè exprimat, ut omnia ex eo de Deo scitu necessaria discere possimus. Hinc quærit Salomo Prov. XXX. 4. **QUOD EST NOMEN EJUS, ET QUOD EST NOMEN FILII IPSIUS?** non, quod nomen Dei, quo appellari consuevit, ignoraret; sed quærit de tali nomine; quod naturam & potentiam divinam ita exprimat, ut ex eo Essentia divina exactè cognosci possit: vel uti Flaccius Part. I. Clav. Script. Col. 723. scribit: *quia nos non simpliciter aut absolute agnoscimus vel colimus Deum, sed catenus, quatenus se in verbo & sacramentis suis patefecit, ad ea quæ tum se tum cultores suos alligavit.* Vel etiam, quia Deum non nisi ex nominibus, quibus sese in literis suis appellat, cognoscere possumus.

§. IV.



§. IV.

☉] Inter duo Solis nomina, in S. Ebræo Codice obvia, quorum unum est חמה *chammah* à calore deductum, hoc frequentius est, quod à ministrando originem trahit. Verbum quippe in lingua Chald. notat, ministrare, administrare. Hinc apte Sol *Schamafsch* dicitur, quod nobis administret lucem seu diem, juxta Gen. I. 16. & multa alia beneficia Deut. IV. 19. De hoc solis ministerio vel dominio, quod ei quoque tribuitur a Mose, audire forte juvat Plinium H. N. L. II. Cap. VI. ita scribentem: *Eorum (Planetarum) medius sol fertur, amplissima magnitudine ac potestate, nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum cœlique rector. Hic lucem rebus ministrat, aufertque tenebras: hic reliqua sidera occultat: hic vices temporum annumque semper renascentem ex usu nature temperat: hic cœli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat: hic suum lumen ceteris quoque sideribus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens.* Propter tot tantasque utilitates, Gentiles Solem animatum & Numen dixerunt & superstitione coluerunt. Hic honor Christo tantum *Soli Justitia* debetur, qui licet sit omnium Dominus, minister tamen omnium factus est, ut suo infra loco pluribus docebimus. Huc quoque refertur nomen חשן *Schimschon*, quod volunt esse diminutivum à חש & significare *soliculum*, seu solem parvum, qui uti Israëlitis in tenebris, tristitia & servitio constitutis fuerit ortus, & typus Christi: ita etiam Christum fuisse ortum eo tempore, quo omnia tenebris obfuscata servitiisque peccati subjecta essent. Vid. D. Præsid. Oeconom. Tempor. Cap. XLI. p. 718.

צדקה] *Justitia*. Est vocabulum in foro & judiciis publicis consuetum, cujus oppositum censetur משפט *condemnatio*; & hæc duo vocabula duas judicii partes significant, nempe משפט *condemnationem*, & צדקה *absolutionem* Vid. Gen. XII. 19. Varios hoc vocabulum significatus obrinere, vel ex Lexicis notum, nec eos transcribere opus est. Inter primarios merito refertur, quando justitia Dei norat eam, quam Deus donat, justitiam Christi credentibus imputat Gen. XV. 6. Rom. IV. 3. ff. Unde Augustinus bene:

Justitia Dei dicitur, non quâ justus est Dominus, sed qua justificat eos, quos ex impiis justos facit. His fere similia leguntur apud B. Lutherum in Comment. in Gen. XLII. fol. 632. *Vox justitia significat justitiam Dei, qua ego justificor divina misericordia &c.* In Comment. sup. Malach. T. VII. Alr. p. 1713. sic explicat *Solem justitia, die gerecht machet / die solchen Glantz gibt / dadurch die Leuthe gerecht werden und erlediget von Sünden.* Significat etiam justitiam Dei punitivam seu vindicativam: interdum etiam, uti plerumque apud Hebræos & alios populos Orientales, benignitatem & misericordiam, Dan. IX. v. 16. De Deo quoque passim in Psalmis adhibita vox legitur pro clementia & beneficentia, qua nos prosequitur, Psalm. XXII. 32. XXXV. 24. LXXI. 1. ff. &c. Male tamen hic putaverim intelligi per Solem justitiæ, *solem benigne largientem lucem suam, vel diem serenam, fructuosam, quæ serenitate sua sanitatem, copiam & affluentiam omnium importet.* Vid. Calov. Bibl. Illustr. h. l. Targum habet *Sol ברוך* in puritate vel propter puritatem. Ubi forte latet Pharisaica opinio de merito operum, quam merito repudiamus.

§. V.

מְרַפֵּא] Et sanitas. Jacobus Goussset in Comment. Ling. Ebrææ fol. 800. ad hanc vocem scribit: *Ego ubique expono hanc vocem sanator, salvator, ut particip. Hiphil; quoniam hac ejus forma est: Etsi agnosco dari nomina hujus forme, sed illuc recurrere opus non est. Non diffiteor, hanc sententiam mihi valde arrisisse, & id propterea, quod nonnulla sic commodius reddi & converti possunt, v. gr. Proverb. XIII. 17. **וְצִיר אֱמֻנִים מְרַפֵּא** legatus fidelis sanator vel medicus est, quod vulgò reddunt *sanitas est.* Hoc equidem notum est, abstractum sæpius pro concreto cum insigni emphasi poni, sed ubique abstractum esse **מְרַפֵּא** non evincitur, cum multa iocæ reperiantur, in quibus vel adjective, vel ut participium Hiphil exponi potest. Hoc loco quidem etiam videtur verti debere per Medicum; quia Christus etiam medicus est & dicitur Exod. XV. v. 26. Nullam tamen satis gravem causam hic video, cur à recepta translatione discedendum sit; quin imò magis emphaticè dici puto *sanitas, quam sanator, cum propter adjectivum vocabulum sub alis*
ejus*

sius, tum quia omnis sanitas tam corporalis quam spiritalis à Christo proficiscitur, & ipse etiam appellatur vita nostra, Col. III. 4. justitia nostra Jerem XXIII. 6. Quidni igitur hoc loco abstractivè reddi posset?


כנפיה] *sub vel in alis ipsius.* Vox כנף propriè significat alam, Metaphoricè autem vel partem inferiorem vestis. Sam. XXIV. 16. & plura alia. Huc imprimis refero, quod alæ tribuuntur auroræ Psalm. CXXXIX. 9. quia est prima lux & primi radii lucis sunt instar alarum super totam terram subito expansi. Soli ob celeritatem alas adscribi volunt, quibus velociter ab Oriente ad Occidentem volet. Alii ad expansionem lucis referunt, quæ se citò per orbem diffundat, sole Oriente per radios, qui quasi pennæ ipsis sint: nam uti aves pandunt alas, ita & sol lumen & radios spargit & pandit, & ut solem radii, ita alæ aves circumdant. Alii denique ad tutelam & protectionem confugiunt, moti verbis Psalm. XCI. 4. Quæ omnia in Christum quadrant. Nondum tamen vim verborum exhauriri arbitror, & libenter à doctioribus eam discere quam meam ponere conjecturam volo. Nec insuper forte haberi debet, quod *in alis* solis justitiæ sanitas esse dicitur. De alis שכניה *Shechina* s. divinæ Majestatis & gratiæ multa ex Hebræis etiam dici possent, si brevitatis permitteret.

וַיִּצְיָא] *Et exhibitis.* Varios verbum יצא in sacris literis obtinet significatus. Leigh. in *Critic. Sacra* enumerat novem, sed plures adhuc, si inquirere quis velit accuratius & distinguere subtilius, invenire posset. Nostrum autem non est talia hic persequi, cum una certa notio ex ipso textu constituenda sit. Jam verò quia constat, de beneficiis Christi spiritalibus, quibus frui debeant fideles s. Deum timentes, sermonem esse, spiritalis haud dubiè exitus innuetur, qui verè intelligi potest & ab interpretibus capitur. Nos generatim de libero exitu vel libertate ab hostibus spiritalibus, & usu, fructu bonorum à Messia partorum explicamus, & verbis Christi Joh. X. 9. ubi ait de homine per se, tanquam ostium, introeunte in ovile: *Et introibit Et exibit liberè & securè, nemine prohibente & pascuum inveniet.* Quod ad metaphoricam descriptionem vitalorum saginatorum in locis pascuosis etiam pulchre facit.


וַפְּשָׁתוֹ] *Et crescetis.* Radix פּוֹשׁ significat augescere, abundare, multum esse, LXX. Interpp. & Vulgatus reddiderunt *saliētis*, Verum hæc non est nativa verbi significatio, sed ponitur causa pro effectu, nam pecora quando pinguescunt, tunc lascivire & salire solent. Hic autem augmentum & incrementum vitulorum saginariorū notat, regenitos quotidie sapientiæ gratiæ & bonorum incrementa capturos esse. Unde B. Lutherus optime: **Ihr werdet zunehmen.** Nam Hebræis ex usu Scripturæ observantibus habet עַיִן רְבוּיִי *sensum multiplicationis*, ceu R. D. Kimchi ad h. l. scribit, vel ut R. Salomo ait, שֶׁמֶן *pinguedinis*.

כַּעֲגֵלִי] *sicut vituli.* Etymologia vocis עַיִל varia est, nonnulli derivant ab עַיִל *rotundum esse*, ut sit vitulus ita dictus ob formam rotundam, quod maxime præ cæteris pecudibus formæ sit orbicularis, vel, uti Excellentissimus Dominus Præses in *Histor. Animal.* pag. 177. scribit, ab Arabico עַיִל *agela*, *festinavit*, *properavit*, quod apte quadrare videatur in rotas, piaustra & vitulos ob incitatum festinarumque motum quem Sacer Codex vitulis Psalm. XXIX. 6. adscribit. Unde etiam LXX. Interpp. hoc convertunt per σκίεταῖν, quia vitulis proprium est *salire, saltitare & saltu lascivire.* עַיִל Hebræi definiunt per בֶּן בָּקָר filium bovis quod ex ipso Mose desumerunt Levit. IX. 2. Deut. XXI. 3. Sæpius tamen etiam vox *fili* omittitur. Quousque verò extendenda sit vituli ætas, Hebræi inter se dissentiunt, ex quibus observat D. Præf. l. c. p. 179 vitulum unius anni עַיִל dici, si vero plures compleverit annos, duos vel tres, tunc dici בָּרָא. Cur autem Deus vitulo hic compareret fideles, cum tamen constet, vitulum fuisse instrumentum idololatriæ, & Israëlem peccatis infectum appellari vitulum lascivum Jerem. XXXI. v. 18. quæri posset. Ad quod respondebit quisque prudens facilè, tertium comparationis hic quærendum esse, quod certè non in lascivia, sed augmento & gaudio constituit ipse sacer Scriptor.

מֵרֶבֶק] *Saginarium vel saginatio.* Radix רֶבֶק non amplius est in usu Dn, Præses proinde in Suppl. ad Lex. Cocceji ex Arab. repetiit



petiit significationem, ubi *rabaka* est fune alligavit pecus collo nempe ad saginandum. Modus autem saginandi apud Hebræos fuit diversus, uti videre est in *Hist. Anim. laud. Præf. p. 223.* Maximè autem pinguescebant boves, cum tempus triturae erat, quia lege prohibente bobus triturantibus os obstruere, frugibus ad satieta-tem usque iis velci liberum erat. Et ejusmodi boves, *Bocharto* teste, עגלי מרבק vocabantur, qui copula colligati grana pedibus triturabant. LXX. Interpretes contrario prorsus sensu reddiderunt in nostro loco: sicut vituli ex vinculis relaxati. Unde videtur מרבק latius sumi debere, pro quocunque loco, ubi saginantur jumenta, inter quæ pascua viridia præcipue numerantur. Hinc *Jerem. L. II.* dicitur: *obesi facti estis כעגלה דשא sicut vitulus herbarius*, i. e. qui pascit in gramineto, unde pinguis obesusque carne redditur, explicante *Kimchio*. Cui versioni accedunt LXX. Hieronymus & Arabs. *Bochartus* tamen cum ex aliquot Codicibus vetustis, tum ex *Malach. loc. præf.* interpretatur *vitulam triturantem*. Quod minime sibi placere *Dn. Præf. Hist. Animal. pag. 213.* dixit, quia omnes a *Bocharto* adducti autores Græcis interpretibus sint recentiores. Nos tutissimam textuique convenientissimam explicationem arbitramur עגלי, præsertim cum Pastorem fidelissimum & Oecumenicum Christum *Joh. X. 9.* ducem sequamur.



CAPUT. II.

Dogmatico-Polemicum.

§. I.

Primam, quam *Aulicus Reginae Candacis* in *Æthiopia* quaestionem in *lectione Esaiæ* movit, eandem & nos in *evolutione nostri Oraculi* movemus, nimirum, de quo agat, & quis per *Solem justitiæ* indigetetur?

§. II.

§. II.

Judæorum Commentatores' primum consulentes, eorumque sententias evolventes, videmus eos vel plane hunc locum silentio præterire, vel valde in eo hæsitare; prius fecit *Aben Esra*, posterius autem *Rabbi Dav. Kimchi, Raschi & Abarbanael &c.* qui dicunt literaliter esse intelligenda hæc verba, vel ad explicationem cujusdam ריש לקיש *Resch Lakisch.* dicti confugiunt, quæ hæc est:

אין גהינם לעתיד ללא אלא הקבה מוצא חסה מגרתיקה
ורשעים גיהנום בה וצדיקים מתרפאין בה

i. e. *non erit infernus futuris temporibus, sed Deus S. & B. educet solem è theca sua, & impii eo judicabuntur, justì verò eo sanabuntur.* Hoc equidem minimè absurdum aut falsum est, quod Oraculum nostrum ad futura tempora referunt, per quæ Messiaë tempora adventumque intelligunt, ceu ex formula liquet. Quod verò de Sole dicunt, non satis capio, nec ipsi forte subtiles Magistri satis intelligunt, μήτε α λέγασσι, μήτε περι τίνων διαβεβαιώνται. Quod porrò de judicio loquuntur futuro, & ut videtur, extremo, neque in hoc adeò sunt culpandi, quia multi etiam è Christianis, Patribus æque ac recentioribus Scriptoribus, de adventu Christi posteriori ad judicium exponunt præsens oraculum, ut *Eusebius Cæsar. Hieronymus, Theodoretus, Lyra, Vatablus, Lud. Cappellus, aliique.* Vid *Christoph. Castri, Salmanticensis Doctoris Comment. h. l.* Hoc autem ad refellendam Judæorum opinionem sufficit, quod Sol naturalis tantas res efficere nequeat, ut impios judicet & perimat, justos autem sanet. Quare alium Solem intelligere necesse est.

§. III.

Ad Christianos quod attinet, illi fere omnes per Solem Justitiæ Christum intelligunt, à quibus *Drusus & Willius* discedunt quibus sol justitiæ nihil aliud est, quam *Sol benigne largiens lucem:* hancque explicationem probare nituntur ex Joël. II. 23. At invalida profuse est probatio, quæ hinc peritur. Nam verba Joëlis (1) non de pluvia Physica sed hyperphysica & spirituali à plurimis Interpretibus explicantur: & vox מורה non semper significat pluviam:

viam, imò hic (3) disertè à pluvia distinguitur, diciturque, quod מורה לצדקה sit facturus, ut descendat pluvia. Unde prius *Mora* doctorem declarat, prout Vulgatus & recentiorum plerique interpretati sunt. Vid. D. Calov. Bibl. Illustr. h. l. p. 780. b. & *Eduard. Pocock* in Comment. h. l. p. 205. Quin imò non pauci Judæorum eandem vocis significationem probant, ex quibus unum produco *Abarbanelem*, cujus hæc sunt verba: nam dabit vobis doctorem ad justitiam, והוא מלך המשיח & is est *Rex Messias, qui eos docebit* &c. Judæi igitur tanto facilius adduci possunt, dum in Joële fatentur Messiam esse Doctorem ad justitiam, & Jerem. XXIII. 6. *Jehovam justitiam nostram*, ut eundem Solem justitiæ esse largiantur. Ut vero idem inter Christianos probetur, vix opus esse videtur, quamquam id facile multis rationibus confici posset. Conferantur saltem loca Mal. III. 5. L. 2. & IV. 5. cum Matth. XI. 10. Marc. I. 2. Luc. I. 17. VII. 27. & facile innotescet, Vatem nostrum de Messia dilucidè locutum esse. Eo etiam merito trahimus nostrum oraculum, & quemadmodum Psalm. XIX. 5. de Sole mystico dicitur, quod luce Evangelii totum orbem perlustraret: ita non minus noster locus de eodem rectè explicatur. Præterea sunt in promptu loca sole meridiano clariora, quæ indubitato & infallibiliter demonstrant, hoc de Christo rectè dici, Joh. VII. 12. Christus semetipsum appellat *lucem mundi*; lux autem mundi nihil aliud est quam sol. Hebr. I. 3. splendor gloriæ Dei appellatur. Luc. I. 5. 78. dicitur *Oriens ex alto*, i. e. Sol; etsi nonnulli velint appellationem desumptam esse à terræ nascentibus & plantis, quæ ἀνατεῖλαι dicuntur, quando exoriuntur, & ita respici ad illa loca, quibus Christus appellatur *germen* Jerem. XXI II. 5. sed verba subsequentiâ hanc derivationem statim evertunt, quando dicitur ἐπιφάναι, ut illucesceret his, qui in tenebris &c. quod certè non plantis & germinibus potest attribui, sed Soli tantum. *Junius* existimat, Zachariam his verbis respexisse ad hunc nostrum locum & Esa LX. 1. 2. Denique potiora ferè attributa soli propria videbis in hunc Mysticum Solem quadrare; quæ etiam juxta ductum dicti præsentis paucis considerabimus & in quibusdam illustrabimus.

C

Ortus.

Ortus. Videmus sanè hoc etiam primum esse, quod in Sole naturali conspicitur & observatur. Per ortum verò nostri solis nihil aliud intelligimus, quam varios adventus Christi. Primo primus ortus est illa nativitas sine omni tempore, quæ ab æterno à Patre genitus est, juxta Pl. II. 7. Mich. V. 1. Unde *Lumen de lumine* dicitur in Symbolo *Niceno*, vel potius *Niceno-Constantinopolitano*, ut est in libris Symbolicis nostrarum Ecclesiarum, vel, quemadmodum juxta Græcum sonat, *lumen ex lumine*. II. Quo Christus in temporis plenitudine à Patre missus, per Spiritum Sanctum conceptus, in utero B. Virginis Mariæ naturam humanam assumpsit, ut nostram nativitatem sanctificaret, & nos in filios Dei adoptaret. Quo pertinet illud Cantici Nat. litii: **Als die Sonn durchscheint das Glas / mit ihrem klaren Scheine / und doch nicht versehret das ic.** III. Est adventus ortusque Christi graciosus, quo per verbum & Sacramenta intrat in corda fidelium, 2. Petr. I. 19. & tanquam phosphorus exoritur in eis, illos illuminat, vivificat, refocillat & spirituali lætitia replet, ut Ecclesia olim cecinit:

Phosphore redde diem, quid gaudia nostra moraris.

Hunc in modum sæpe fidelibus in tenebris s. calamitatibus, tentationibus & persecutionibus constitutis, oritur lux, juxta illud Ps. CXII. 4. *exoritur lux justis in tenebris, à gratiofo &c.* imo vero lux illa est ipse Deus, conf. *D. Gejer* in h. Psalm. Comment. Præter hunc ortum Christi graciosum, qui non semel, sed sæpius contingit in fidelibus, IV. alius quoque datur valde illustris & gloriosus, passim in sacris literis celebratus & descriptus tanquam formidabilis valde impiis, lætus autem & exoptatus piis, vid. *Jes. II. 10. ff. Luc. XXI. 25. - 32. 2. Thessal. I. 7. ff.*

Quisnam autem ex his omnibus à Propheta ortus adventusque solis justitiæ respiciatur, adhuc inter Commentatores & Interpretes valde controversatur. Sunt, qui existimant primum intendi à Propheta, seu adventum in carnem, quo inclinare videtur *D. Jo. Schmidius* in Comment. ad h. l. pag. 818. Alii referunt ad adventum regni Dei per prædicationem Evangelii, quod est *δύναμις*

1415 8

μὴ δὲ Θεὸς εἰς σωτηρίαν Rom. I. 16. Sunt denique, ut superius indica-
vi, qui de posteriori Christi adventu explicant. Quid nobis videatur,
parum forte refert, definire. Conciliari facile sententias posse
arbitramur, cum nulla excludi debeat, quemadmodum in argu-
mento & analysi breviter indicavimus Cap. I. §. 1. Christum igitur
cum beneficiis considerabimus, in quantum verba suggerunt, &
præcipuè illa, quando *Sol Justitia* dicitur.

§. IV.

Christum quoad divinam naturam solem dici, patet ex supra ta-
ctis. Ps. LXXXIV. 12. *Dominus Deus יהוה אלהים* in essentia unus
& in personis trinus dicitur *Sol*. Undè filio Dei, de quo Malachias,
hoc quoque nomen competet, ac ille proinde verus Deus erit. Deus
lux est, 1. Joh. I. 5. & Christus est lux vera Joh. I. 9. & verus Deus,
1. Joh. V. 20, cujus opus Sol, Luna & Stellæ &c. Ps. VIII. 4. *Est
Jehovah Justitia nostra*, Jerem. XXIII. 6. & *Sol Justitia*. Est lux
ἡσιοδῶς, à patre luminum ab æterno ineffabili ratione producta. Est
etiam lux ἐνεργητικῶς. Unde qui habitabat lucem inaccessam, in
tempore apparuit in Carne, ut serviret humano generi ad salutem,
eique fieret sol justitiæ. Etiam si in forma Dei erat, tamen semet-
ipsum exinanivit & formam servi assumpsit, Phil. II. 5. 6. *ὑπὸ
minister factus*, & ut sic dixerim, ministrissimus; quo omnium salutem
in serviret veniretque sub occasum mundi in mundum, ut illumina-
ret omnem hominem venientem in hunc mundum, Joh. I. 9. uni-
cus ergo Sol, unus Mediator Dei & hominum. Cicero Libr. II. &
III. de natur. Deorum scribit, ideo solem appellatum esse, quod vel
solus ex omnibus sideribus tantus esset, vel quod cum exortus est,
obscuratis omnibus, solus appareat. Optimo jure hoc de Christo
affirmatur, quia solus ille est, sine cujus lumine nihil est in homine
in ipso vita erat, & vita erat lux hominū, Joh. I. 4. *Sunt igitur Jo. Schmi-
dio in Comment. p. 1819. dicente pavelii, aut potius ignes fatui, qui-
cunque vel de sanctorum meritis vel nostris opellis, huic soli ad-
iunguntur, à quibus nulla est illuminatio, sed major subinde obscu-
ritas.*

§. V.

Beneficia autem quæ promeruit, quæque promte offert nobis Sol ille justitiæ majestatisque, plurima & maxima sunt, quæ breviter persequemur, non quidem omnia, cum innumera sint & infinita, sed præcipua duntaxat, & illa, quorum hic mentio fit, & an-
fa datur.

§. VI.

Id vetò priusquam faciamus, operæ pretium esse videtur, ut dispiciamus, ad quos tanta beneficia spectent, omnesne in toto terrarum orbe homines, an aliquos duntaxat, eosque oppido paucos. Sane quando Malachias ait, *Et orietur vobis, o timentes nomen meum, sol justitiæ*, posteriùs affirmare videtur, quia pauci sunt qui Deum timent. Sed ex ipso textu validum fundamentum contra particularitatem lucis gratiosæ habemus, imo ex ipsa voce Solis. Nam, ut canente Virgilio Poëta :

Sol qui terrarum flammis opera omnia lustrat,

Vel, Davide potius Propheta atque Rege entheo, Ps. XIX. 7. *ab extremitate celorum exitus ejus est, & reversus ejus est ad alteram eorum extremitatem, nec quicquam est quod ejus lateat calorem* : Sic quoque Sol justitiæ Christus omnibus hominibus æque tenebricosis & injustis apparuit & exortus est, & cupit omnibus inservire ad cognitionem veritatis salutarem, Luc I. 78. 79. Unde lux Gentium passim appellatur. Quod vero non omnes illuminentur, hominum culpa est lucem refugientium, oculos animosque claudendum, ut videntes non videant, Matth. XIII. 13. ff. Joh. III. 19. ff. Deinde Io. Tarnovius ad h. l. pulchre observat, sequi apud hunc nostrum Prophetam, *vobis, o timentes nominis mei, exorietur Sol justitiæ cum CURATIONE in alis ipsius : reliquis quidem oritur sed non cum curatione, quia refugiunt Medicum*. Unde novam similitudinem hic probe attendendam inculcat. *Ut enim, inquit, Medicus aut medicamentum neglectum non sanat, quod tamen sanare potest, si adhibeatur debito modo : Sic etiam Christus animarum medicus Matth. IX. 12. omnes ad se vocat, ut reficiat a morbis atque miseris liberet :*

liberet; verum a multis contemnitur, unde non est mirum, si non sanentur. qui media a Deo ordinata negligunt.

§. VII.

Ne quid autem dubii hic relinquam, dubium, quod formati inde posset, quomodo timentibus nomen Dei, qui jam sint illuminati, exoriturus sol justitiæ promittatur, breviter expediam. Adest certe fidelibus semper sol justitiæ, inque cordibus eorum habitat: sed tenebris & nubibus calamitarum sæpe recti & obruti, non vident lucem Domini nec sentiunt. Unde oriri quasi de novo ipsis videtur lux, quando serenatur afflicta anima, & auxilium divinum affulget efficax cum solatio & gaudio jucundo. spiritus. Vid. Psal. CXII, 4. *oritur in tenebris lux rectis.* Habet Deus suas horas & moras, incidere sinit pios in tentationes, ut eorum fidem & patientiam probet, desiderium lucis majoris in eis excitet, & mediorum eo ordinatorum usum diligentiolem atque ardentiolem commendet.

§. VIII.

Nunc quomodo oritur Sol justitiæ, & illuminet sanetque, dispiciemus. Potuisset quidem Salvator nos illuminare immediate; sed infirmitati nostræ sapientissime consuluit, quando per certa media hoc efficere voluit. Ea quæ sunt, satis constat, nimirum verbum & Sacramenta. Lumen Naturæ, quod residuum est, hic nequaquam sufficit, quia ad spiritualia & salutaria non pertingit, imo, ut Lutherus ait in Post. Eccles. **es würet wieder die Gnade / daß Gnaden Licht muß sein** *Clare seyn* &c. Vid. Meisner. in Theol. Nat. p. 89. Quapropter Deus verbum dedit revelatum, quod uti lux dicitur, ita quoque lucem in hominibus accendit, Pl. XIX, 8. 9. CXIX, 105. 2. Pet. I, 19. Et verbum quidem Evangelii intelligendum est, quod vim habet inditam sanandi, illuminandi & salvandi, Jes. LXI, 1. Ex lege agnitio peccati, tenebrarum & morborum est, adeoque per lapsum infirmata (Rom. VIII, 3.) lucem & claritatem literæ occidentem saltem habet, non vivificantem & lætificantem. Sicut igitur Sol per radios illuminat, ita Deus per Evangelium opacas & timidas mentes erigit, re-

scit & collustrat. Sacramenta esse visibilia signa invisibilis gratiæ aliunde satis atq; adeo ex orthodoxa Theologia constat & probatur. Unde merito explodimus & *Naturalistas* & *Enthusiastas*, *Quackeros*, ac similes fanaticos, qui vel per lumen naturæ vel, sine mediis contingere somniant illuminationem. Vid. Solid. Declarat. p. 655. & p. 672. ubi hæc verba leguntur. *Quare cum homo prophanus instrumenta seu media Spiritus Sancti contemnit, neque verbum Dei audire vult, non fit illi injuria, si a Spiritu S. non illuminetur, sed in tenebris infidelitatis suæ relinquatur & pereat.*

§. IX.

Spiritualis illuminationis ratio, licet difficilis valde & obscura videatur, tamen eam vel ipsa Solis notio illustrat. Novimus, Deum creasse Solem *להאיר* ad illuminandum, lucere faciendum, & Solem id facere, radiis suis totum terrarum orbem replere ac fovere. Quod igitur Sol naturalis est, in Macrocosmo, id Sol Mysticus est in Microcosmo. Lux Gentium catholica oritur, illuminat, fovet, vivificat, sanat hominem quemvis venientem in hunc mundum. Eo Paulus haud dubie respicit 2. Cor. IV, 6 *Deus qui dixit jussitque ex tenebris lucem splendere, idem est, qui in cordibus nostris effulsit, ad illuminationem cognitionis gloriae Dei in facie Jesu Christi.* Ad lucem solis distincta & clara rerum cognitio sequitur, quæ antea in tenebris sepultæ & confusæ quasi sunt. Ita quoque in intellectu hominis cæcitas est & ignorantia horribilis Dei rerumque divinarum, Ephes. IV, 28. Quas tenebras dissipat Sol justitiæ, dando spiritum sapientiæ & revelationis, Eph. I, 28. s. ut sciamus, quæ sit spes vocationis & *τὰ ὑπὸ τῆς Θεῆς χάριτος*, 1. Cor. II, 12. Sanatio etiam per hanc illuminationem contingit rationi corruptæ, qualis post lapsum est in omnibus hominibus. *In qua rationis rectificatione, ut B. Menzerus T. VII. Disp. Giffens. Disp. II. p. 41. scribit, non mutatur sapientia humana in se ipsa, non linguarum proprietates &c. sed ratio ipsa, antea Deo inimica & a verbo ejus aversa, captivatur sub Christi obedientiam &c.* Taulerus, Luthero impense laudatus, de imitat. vitæ pauper. Christi Part. I. §. 53. egregie rem illustrat similitudine huc apprime

apprinie faciente. *Quemadmodum*; inquit, *Sol quando oritur, omnia lumina in suum lumen mutat, & reliqua occidunt: ita quando Sol divinitus in anima oritur, omnia lumina in ejus lumen mutantur, ut nullum nisi divinum lumen reliquatur.* Interim non putandum est, divinam illuminationem simul & semel hominem perfectum reddere; manet enim verum, quod Paulus ait 1. Cor. XIII, 9. 12. *ex parte cognoscimus, & experiuntur saepe deplorantque fideles reliquias tenebrarum, ac necesse habent, ut cum illuminato Davide orent Ps. CXIX, 18 revela oculos meos &c.* Dantur gradus & incrementa illuminationis: dantur & eclipses, ut sic dicam, in afflictionibus, quæ cœlestis Solis radiis iterum dissipantur. Deinde ut Sol non tantum lucet, sed & ardet: ita etiam Sol justitiæ voluntatem purgat, & divini amoris ignem in corde accendit. Quæ de re iterum *Taulerum* audire juvat l. c. §. 154. **Als das Licht der Sonne ist heiß; also ist auch das Göttliche Licht heiß/ und machet die Seele brennen in Göttlicher Liebe. Und mit dem daß sie das Göttliche Licht empfähet/ so empfähet sie auch die Hitze des Lichts. Und alle Ungleichheit der Wahrheit vergehet und verschwindet in der Hitze des Göttlichen Lichts. Und als die Sonne ist gebärschafft: also ist es auch um die Göttl. Sonne/ sie gebieret alle Wahrheit in die Seele.**

§. X.

Atque hinc etiam de variis effectibus illuminationis colligi aliquid potest. *Quemadmodum enim Sol naturalis innumerabiles & admirabiles effectus producit & calore suo in omnia inferiorum se diffundit, frigida fovendo, morientia vivificando, immatura maturando &c. ita quoque multo plures effectus salutare a Sole Christo proveniunt, quos ne percensere quidem numerando nedum persequi explicando valemus.* Quosdam igitur duntaxat attingemus, ad quos oraculum ipsum respicit

1. Est *ὑπερέχον τῆς γνώσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ ἢ τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ.* In qua cognitione salus nostra sita est, *Jes. LIII, 11. Joh. XVII, 3.* Ad eam vero pervenire sine gratioso Solis justitiæ ortu

&

& luce efficaci, s. illuminatione, nemo potest. Solem quis sine Sole videt? *In luce tua videmus lucem*, Pl. XXXVI, 10. ubi recte in *Pesikta rabbetha* ita explicatur *הא אורו של משיח* hac est lux Messia. Lux autem illa est fides *φωτισμὸς τῆς γνῶσεως* 2. Cor. IV, 6. qua scimus, videmus & gustamus, quæ donata sunt in Christo, Rom. VIII, 32. 1. Cor. II, 12. inter quæ sane præcipuum munus est justitia, Phil. III, 9. certe imputata & gratiose donata. Huc refer Lutheri verba ex Comment. in Malach. supra adducta, quibus sequentia jungere visum est. **Die Sonne der Gerechtigkeit / welche gerecht macht / die solchen Glantz gibt / dadurch die Leuthe gerecht werden und erlediget von Sünden / dadurch ausgekocht wird alle schädliche Feuchtigkeit der fleischlichen Lüsten. Derselbe Glantz ist das Wort des Evangelii / welches die Herzen durchdringet / und die Sonne wird allein gesehen mit den Augen des Herzens / das ist / durch den Glauben.**

II. *Sanitas spiritualis, ad quam*, scribente D. Calovio in Bibl. illustr. ad h. l. *requiritur medicina, mundatio a peccatis, sanatio per vibices Christi, conscientie purgatio ab operibus mortuis, vivificatio, renovatio &c. quæ omnia sub alis Solis justitiæ habemus.* Vid. Pl. CIII, 3. Jes. LIII, 5. Quemadmodum causa omnis generationis in sub-lunaribus Sol est: ita quoque Soli justitiæ regeneratio renovatio &c. debentur. Hæc atque talia prolixè eleganterque illustravit D. Jos. Stegmannus *Christognos.* P. II. p. 280. ff.

III. *Pax & letitia, tranquillitas vel ἀνάπαυσις conscientie, augmentum omnium bonorum, quæ significantur per verba textus: & egrediemini & augetis sicut vituli saginati.* Ad quæ iterum B. Lutherus sic commentatur: **Dieses ist die Frucht des Glaubens und Reichs Christi / nemlich ein fröhliches Gewissen und öffentliche Bekantniß / Danck-sagung / Freude in Trübsal / predigen und andere bekehren. Zunehmen ist der freude Art / dann Traurigkeit machet Abnehmen. Ein Christ meinet die ganze Welt sey sein / gehet offenbahr daher / suchet nicht Winckel.**

S. XI.

Hos effectus diligenter quisque expendere & circumspicere debet, an sit *filius lucis*, & an in luce ambulet? Nam, ut de posteriori ordiamur, ceu signo & criterio luculento, *qui in tenebris peccatorum ambulat, easque amat*, ille, B. Gerharo in Meth. Stud. Theol. P. I. Cap. 2. scribente, *ad lucem spiritualis cognitionis adspirare non potest*, nec filius lucis est. Conf. 2. Pet. I, 9. *cui haec*, quæ longa serie Apostolus recensuit ψ. 5. 6. 7. *non adsunt*, is *cæcus est*, *μυωπάζων talparum instar* &c. *μηδὲν ἐπισάμενος nil sciens*, ut oportet scire, 1. Tim. VI, 3. 4. 1. Cor. VII, 2. tandemque projicietur in tenebras exteriores & sua culpa suoque damno experietur & conqueretur cum impiis Sap. V, 6. *τὸ τῆς δικαιοσύνης φῶς οὐκ ἔλαμψεν ἡμῖν, ἔο ἡλίου οὐκ ἀνέτειλεν ἡμῖν*. Ita mendacissimi homines Deum accusare non erubescunt, *ὅς τὸν ἡλίον αὐτῶν* in regno naturæ & gratiæ *ἀνατέλλει ἐπὶ πονηρὰς καὶ ἀγαθὰς*, Matth. V, 45. Sed quia timere nomen Dei noluerunt, tenebras magis dilexerunt quam lucem, Joh. III, 19. Principique tenebrarum se tradiderunt, qui incredulorum mentes excæcat, *εἰς τὸ μὴ ἀυγᾶσαι αὐτοῖς τὸν φωτισμὸν ἔ ἐυαγγελίᾳ τῆς δόξης ἔ χριστοῦ*, non vident lucem, nec futurum solatium videbunt. Christus est lux mundi, cum quisequitur, non ambulat in tenebris, sed habet vitæ lumen, Joh. VIII, 12. Conf. Thom. Kempis. de imit. Chr. Cap I. & Dn. Præf. Theol. Evang. p. 140. & 151. S. ubi veram & falsam illuminationem & utriusque criteria probe consideranda esse monet. Nos nihil inde exscribimus, nec Polemicis hîc occurrentibus diu immorabimur, cum fundata veritatis luce tenebræ mendaciorum & ignes fatui nullo negotio exspirent & dissipentur, ex oriente Sole justitiæ, qui ut nunquam nobis occidat, sed clarius subinde emicet in Evangelio, devote precamur.

SOLI JUSTITIÆ GLORIA.

D

SOLEM

SOLEM IUSTITIÆ CHRISTVM,
 doctissime BUHLI,
 Dum sistis nobis, apprecor ecce TIBI,
 Ut Sol Iustitiæ nunquam non TE comitetur,
 Et fidei & vitæ sit cynosura tuæ.
 Sic non errabis, sed semper tramite vero
 Incedes, cæcis lux eris in Domino.
 Iustificans multos, sic tu fulgebis & olim
 Inter sublimis sidera clara Poli.

Ita ex animo gratulatur & precatur DN.
 Authori Respond. Auditori suo in-
 defesso & plurimum dilecto
 PRÆSES.

JUSTITIÆ Solem, mi Buhl! exponere luci
 Dum placuit; Lucis filius, opto, fies!
*Hoc voto convictorem suum hactenus dilectum
 nunc à nobis discessurum prosequi voluit*
 M. Henr. Theobald. Schenckius,
 Past. Giess.

As hochberühmte Lichte / so unsre Seele führet /
 Berühret den / der mit geläutertem Verstand
 Ihm seine reine Quell und Ursprung recht berühret /
 Und dieser Sonnen Glanz / mache alles
 Welt bekant.

Die Hoheit wird noch mehr im Menschen selbst gezelget
 Wenn sich da Licht und Recht vor unsre Augen stellt!

Als wenn der Sonnen Glanz die helle Strahlen neigte
 Und dessen schönes Bild in Fluß und Wasser fällt.
 Von dieser Wichtigkeit kann jetzt Herr Buhl viel schreiben/
 Da Ihm die Feuer-Seul vor seinen Augen steht/
 Er wird ins künftige nicht in Obscuro bleiben
 Wenn die gerechte Sonn an seiner Seiten geht.
 Hiedurch wolte dem Hochgeehrten Herrn Re-
 spondenten seine Ergebenheit bezeugen
 Jeremias Philippus Krug.

*Christum Melchisedeck alii satis esse probarunt
 Tu quod Justitiæ Sol sit, Amice, doces.
 Id tibi suggestit pia mens, quæ justa vocatur
 Hebræis, & par Theiosophia dedit.*

*Adjecit hæc eis μυημύρωνας &
 Φιλίας ἐνεκεν*

Johannes Justus Losius
 Hildes. Saxo.

*Christus Justitiæ Sol omni, qui reveretur
 Ipsius Nomen Sanctum, dans prosperitatem
 Omnigenam, MI BUHL! Tua Lux sit nam præeunte
 Hoc Duce, quam spectas, dabitur contingere metam.
 Ita Dn. Respondenti patrios lares repetenti gratulatur
 Joh. Jerem. Schenck. Th. Cultor.*

*Enthea Iustitiæ Solis sperantibus ortum
 Prædixere diu sanctorum oracula vatium,
 Felix, æterna radii cui lumina donant
 Lucis, & obscuro tenebras in corde serenat.*

Horum occasione Dn. Autori applaudebat
 Joh. Simon Franc de Lichtenstein.

כי גוי אבד עצות
 המה ואין בם תכונות :
 אשרי האיש הבוהל שמו
 שהוא ראשון שכדורו
 מעיר המהללה
 הנקראת וומפינה
 מודה לאור הנזים
 תהלתו לעלמים :

אשרי הדור
 שיראה אור
 ושמש צדקה
 שיתן רפואה
 ליראי שם השם
 בלב תם ושלם :
 אשרי האיש אשר הלך
 באותו אור ולא דרך
 בחשך ובסנורים
 עם עבריים עורים

Hæc in testimonium amoris & amicitiaæ adjecit,
Joh. Henr. Majus F.

*Justitie splendor penetrans penetralia cordis
 Fulgeat hic cœptis, Suavis Amice! tuis
 Paucula hæc Dn. Autori & Amico suo haut vulgari
 in perpetua memoria tesseram apponit
 W. P. Müllerus.*

*Pulpita conscendis nostri cum laude Lycei
 Giffeni, prodens doctrinam, mente repostam
 Doctâ; Sic pergas! tunc te condigna manebunt
 Premia, laus & honor, virtus, nomenque celebre.
 ita eruditissimo Dn. Respondenti ominatur
 Joh. Andreas Hoffmann Decensis Nass.*

*Sustinet egregium specimen præstare laborum,
 Quos literis tribuit non sine laude factis,
 Ingenio mactus Dominus BUHL ardua tractat
 De SOLE & loquitur suavia JUSTITIÆ.
 Hisce Nobilissimo Dn. Buhl. nunquam satis colendo suo
 Amico & Commensali estimatissimo in perennem
 amicitiaæ memoriam applaudebat
 Joh. Wilh. Creutzer. Kirne Palat.*

Coll. diss. A 195, misc. 37